Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

instaurauit. ubi inter plurima distincta gemmarum colore perornata. phylacteria primo ex purissimo auro fabricata in opus sanctuarii intulit. Inde ex uniuersis pertinentibus sibi tam in agris quam in uineis partem in oblationem dedit. et officia clericorum illic domino famulantium instituit. Percipiens quoque laboriosum fidelibus esse si illuc ab exterioribus locis ad missarum sollempnia confluerent. iussit ut decem uillarum populus ecclesiam edificaret. ad cuius diocesim pertineret. ne tedio affectus minus religionis sue officium curaret. Quibus secundum uite meritum episcopos et sacerdotes prefecit. ut auctoritate apostolice traditionis erudirentur. Hec multo post alias se conuertit. corroboratus uoce domini dicentis. Luceat lux uestra coram hominibus ut glorificetur pater uester qui in celis est. et quosdam familiarium suorum romam adire delegit. commendans facultates multas nimis. ut ibi in honore protomartiris stephani ecclesia fundari deberet. Quod et ita factum est. Post hec diuisit alia quibus acquirerentur domus uille. possessiones. et cetera talia que ad sumptus ministrorum ecclesie pertinent. Et singulis annis quamdiu aduixit. munera et oblationes semper augebat. ne aliquid extrinsecus quererent. qui officio sanctuarii preerant. Ierosolimis etiam in monasterio quod construxerat monialium conuersationem destinauit. quibus simili dispositione necessaria preparauit. O uere felicem stephanum. qui ut eternam mansionem edificatam haberet in celis. se ipsum domino habitaculum preparabat in terris.

10 Sancta dei ecclesia in pace collocata et ex romana auctoritate iuste ordinata. gens bissenorum longe a fide aliena. et quasi beluina stulticia carens intellectu. patrie eius confinia demoliri aggressa est. Rex uero illos ante dies in remotis partibus uenatui insistebat. ut saltim post multas curas quibus opprimebatur. aliquantisper infirma membra laxaret. Cum ergo circa mediam horam diei sopori indulgeret. per uoluntatem dei qui ea que futura sunt spiritu uisionis sue manifesta et cognita fidelibus ostendit. uidebat astantibus presentialiter inimicis patrie loqui. et quasi eos terrendo proferre. Cur uana uestra cohorte claustra sancte ecclesie irrumpere uultis. Cur congregem pastoris magni. et ouilia eius desolari uenistis. Recedite recedite. quia impetraui ab imperatore meo. uirum et defensorem et ducem meum. scilicet martynum. qui non patietur morsibus uestris pascua iustorum lacerari. Euigilans quoque alacri uultu qui sua proferret nuntia a deo mandauit. Cui assistenti non mee inquid legationis causas explere poteris. sed alius qui fidelior inueniatur accedat. Presentatum uero eis de uerbis redire precepit. dimoto et tercio. perge ait ad ire festina propere. et mea tollens mandata. dic tribuno plebis in ulterioribus moranti. ut se preuideat uiros ad pugnam eligat. et hostium cuneos in me belli ~~ferentes~~ et mouentes propellat. Ascendit ille. uelociter ad locum peruolauit. quod acceperat indicauit. ideoque diligenter factum est. Iam hostis prius aderat. iam menia urbis uallauerat. cum inopina incursio est. tribunus cum copiis suis illum inuaderet. Tunc utrimque decertatum est. Isti protectione dei roborati accinguntur. illi amentia sua obligati discinguntur. Postremo terga fuge dederunt. plures autem corruerunt. plures eorum in captiuitatem ducti sunt. Sede pacata. is qui uenerat ad regem. regreditur ut nuntiaret ei. Rex audito euentu belli. grates habuit omnipotenti. qui uictoriam fidelibus suis dedit ex inimicis. Hinc mirum credimus superna pietate illum uisitari. qui ne circumdaretur ab inimicis liberatorem de celis habere meruit. ut precederet et custodiret eum. Sicut enim deus christum suum dauid quondam a facie phylistinorum angelo suo protegente liberauit. ita et hunc de manu persequentium eripuit. educens et reducens in saluationem.

11 Fama hominis sui in auribus sectarum diffusa. et iudicium oris sui celebri laude ubique innotescentibus. LX. uiri byssenorum quorum superius mentionem habuimus. cum uniuerso apparatu suo uidelicet auri et argenti copiositate multaque uarietate ornamentorum. curribus onustis. partibus bulgarorum egressi. terminos pannoniorum apprehendant. dicunt multi seruorum quorum animus cereus est flecti in uicium. malignitatis face succensi. obuiam illis exierunt. quosdam gladio percusserunt. que omnium eorum fuerant auferentes. uacuos et semineces reliquerunt. Illi iudicio regis quod actum quid ue perpessi sunt reseruantes. iter quod ceperant peregerunt. et ad eum usque properantes. genibus se aduoluerunt. Quibus uisis. que inquid causa malorum. Mi domine referunt nos serui tui nichil mali machinantes. ad audiendam iudiciorum tuorum disciplinam ueniebamus. et quorundam manibus quam nobiscum ferebamus pecunia absque delicto omnium nostrum ablata est. Insuper apprehensos ceciderunt. et uita uix comite uenimus ut nuntiaremus tibi. Rex ut erat prudentioris animi. non uultu non uerbis minatus est.